AD VERBASCUM CISALPINUM A CL. MEDICO JOANNE BIROLI NOVARIENSI DESCRIPTUM...

Luigi Colla

speciei a LINNEO, aliisque egregiis Botanicis tributos, illosque ab ipsomet perpensos in incola planta suspicatum fuisse » *V. phaeniceum L.* minime colere ditionem pedemonta- » nam, et distinguendum esse nostrum nomine *V. cisalpini*, » quod a basi Alpium ad Ticinum usque in pascuis siccis, » et praesertim ericetis crescit » (1); cum denique idem cl. vir iconem, et descriptionem addiderit, ut *judicent Botanici an acceptandum, an rejiciendum* (2); operae praetium duxi nonnullas observationes summis viris submittere, ut noscant num veritas deprehensa fuerit, an potius error sit detegendus.

Differentiae, quas cl. BIROLI agnovit in characteribus specificis totae in eo sistunt, quod in *Verbasco* LINNEI folia sint *nuda*, caulis *subnudus ramosus;* in nostro folia *pilosa*, caulisque *pilis obsitus*, et semper *simplex* (3).

Praetium hisce notis tribuendum, praesertim in *Verbasco*, videbimus: interea diligenter perpendendi *characteres* tam a LINNEO, quam ab aliis celebrioribus Botanicis *V. phaeniceo* adscripti; icones inspiciendae; *specimina* exquirenda.

CHARACTERES.

LINNEUS in *hort. Cliff. p.* 55 inter *Verbasci* species refert *Blattariam purpuream* BAUH. Pin. 241, et sequentes

(1) Ibid. p. 2. vers. *ab expositis.*

(2) Ibid.

(3) Ibid. p. 1. vers. *Praesides Botanici.*

addit synonimias *Blattaria flore caeruleo et purpureo*; Bauh. hist. 3. 875. *Blattaria perennis flore violaceo* Moris. hist. 2. p. 488.

Ex characteribus a Bauhinis, et Morisonio allatis nil certi deduci potest. Casp. Bauh. in *Pin.* 241. non adnotat folia, nec caulem; monet tantum hanc *Blattariam* esse *flore subcaeruleo aut carnei coloris, aut dilatiore purpura nitente, interdum saturatius rubente*, unde *purpuream* appellavit.

I. Bauh. in *hist.* 3. 875 nullos characteres specificos refert; ait tamen: *et hanc vocamus Blattariam flore phaeniceo:* addit iconem valde mancam, ex qua folia radicalia videntur *nuda*, caulina autem, et ipse caulis *villosus*: apparent etiam *rami*, sed ex *axillis infimis*, quod notandum, ut sequentibus descriptionibus lumen afferatur.

Morisonius hanc plantam ita describit: « Blattaria flore » caeruleo vel purpureo folia multa habet per terram strata, mediocriter lata, viridia, absque serratura ulla in » margine, ex quorum medio oriuntur caules plures cubitales a media parte fere sursum versus ornantur floribus etc. » Moris. *hist.* 2 *p.* 488. Tradit insuper figuram t. 9. sect. 5. fig. 1 quam cl. Biroli admittit *proximam* Verbasco ab ipso descripto (1), quae tamen omnimodo imperfecta ab omnibus Botanicis censetur.

---

(1) Ibid. p. 1. vers. cl. Morisonius.

Ex hisce mancis descriptionibus, iconibusque, LINNEUS, qui fortasse tunc plantam ante oculos non habuerat, nil mirum, si sequentem phrasim eruerit *Verbascum foliis ovatis crenatis nudis scabris, caule ramoso* : Hort. Cliff. 55.

Sed de LINNEI phrasi in Hort. Cliff. ne verbum quidem apud cl. BIROLI. Phrasis, quam desumit a systemate vegetabilium ejusdem LINNEI, non fuit a nostro auctore accurate tradita: LINNEUS enim: *foliis ovatis nudis crenatis radicalibus, caule subnudo* RACEMOSO: ita *in syst. veget: edit. Vindb. an* 1770 *vol.* 3 *p.* 169, nec non in *edit.* 15 *curante* MURRAY. *Paris.* 1798, *pag.* 179, et in aliis. BIROLI autem scripsit: *foliis nudis crenatis*, *radicalibus*, *caule subnudo* RAMOSO (1).

Supposito, ut fieri debet, adjectivo *ramoso* alteri *racemoso*, demta videtur praecipua ratio differentiae ab illo detecta.

At, quam Auctor praeterit, LINNEUS subjungit descriptionem hisce verbis: « Folia radicalia ovata, subsessilia, nu-
» da, laevia, rugosa, vix crenata. Caulis erectus, *sim-*
» *plex*, bipedalis. *Rami ex alis infimis* erecti *simplices*
» longitudine caulis, omnes angulati *subpubescentes pilis*
» *apice viscidis*, *etc.*

Ergo excludit LINNEUS caulem, quem *simplicem* vocat, esse *ramosum*, uti errore ductus a BAUHINIS, et MORISONIO

(1) Ibid. p. 1. vers. *Divus* LINNEUS.

in *hort. Cliff.* posuerat. Rami autem *ex alis*, seu axillis *infimis* ad caulem non pertinent: sic cl. Biroli eorum non meminit.

Etiam Tournefortius p. 148 inter *Blattariae* species *purpuream* recensuerat, sed descriptionem omiserat, et ad Bauhinios, ac Lobelium *Icon.* 565 se se retulerat.

Idem fecerat Rayus in *hist. plant. vol.* 2, *p.* 1096; addidit insuper hasce notiones: « Blattaria flore caeruleo, vel » purpureo . . . foliis per terram expansis ad *Conyzam* » *Mathioli* minorem accedit, non tamen *ita villosa* sunt ... » *Parkinsonio* folia latiora sunt quam *Blattariae luteae* » (*Verbascum Blattaria* Lin.) *magis canescentia*, paucis » aut nullis per margines serraturis etc.

De caule nihil dixit: sed comparatio inter *V. phaeniceum*, *V. Blattaria*, et *Conyzam Mathioli* ratione foliorum superficiei, non leve praebet argumentum, primam speciem haud semper gerere folia *nuda*, dum Rayus asserit esse *minus villosa* quam in *Conyza Mathioli*, *Parkinsonius* autem teste Rayo esse *magis canescentia* quam in *V. Blattaria.*

Cl. Scopoli in *flor. carniolica* edit. 2, n. 250 *V. phaeniceum* recensendo memorat etiam Linneum, et Bauhinios loco citato; asserit caulem esse angulatum; non adnotat utrum ramosus an simplex; folia tacet radicalia; caulina *subvillosa* esse dicit.

Post Linneum Jacquinius accurate descripsit V. phaeniceum in *flor. austr.*, quod cl. Biroli admisit *nostro adeo*

proximum (1): revera ille declarat caulem gignere *angulatum erectum* VILLOSUM SIMPLICISSIMUM, qui characteres perfecte conveniunt descriptioni, et iconi a BIROLIO tributis: addit utique JACQUINIUS *VEL RAMIS AUCTUM*, quod equidem indicat hanc speciem aliquando ramos gerere forsan *ex alis infimis* uti notaverat LINNEUS, et ab imperfecta BAUHINII icone eruitur, ceu supra observavi, sed neutiquam probat caulem esse *ramosum*.

Caeterum quandoque ramosa esse potest planta, quum adhuc tenella, vel ab animalibus erosa, vel ab aliqua causa versus basim laesa fuit, ut in *V. Thapso* adeo frequens contingit.

Quidquid autem de hac re sit, haud dubium videtur JACQUINII plantam camdem esse, ac *V. phaeniceum* LINNEI ab eo laudati (2), ita ut in posteriore editione systematis vegetabilium LINNEI *Paris.* 1798, *p.* 179 *curante* MURRAY, hic se se referat ad JACQUINIUM *flor. aust. vol.* 2, *t.* 125. Et cum firmiter ab eximiis hisce Botanicis admittantur synonimiae BAUHINIORUM, LOBELII, et MORISONII, pro certo habendum semper de eadem planta locutos fuisse, nec credidisse hanc praeseferre constanter folia *nuda*, caulemque *ramosum*: quod esset probandum firmissimis exemplis, et potissimum experimentis actis ope iteratae seminationis, ad

(1) Ibid. p. 1. vers. cl. JACQUIN.

(2) JACQUINIUS citat LINNEUM *syst. pag.* 169 quod cum nostra edit. Vindbonae anni 1770 supra citata, omnimodo quadrat.

constituendam speciem ab illa distinctam ratione foliorum *superficiei*, et caulis *simplicitatis*.

Hoc posito videamus quid senserit celeberrimus Allionius noster, cujus vestigia a clarissimis Botanicis Pedemontanis Bellardio, et Balbisio secuta et venerata fuere. Ille in *flor. pedem. tom.* 1, *pag.* 106 refert phrasim Linnei *syst. veget.*; admittit synonimias Bauhiniorum, et Jacquinii; affert iconem Taurinensem *vol. II. tab.* 101, quae a cl. Birolio haud memoratur, quamque diligenter consului in Bibliotheca R. Athenaei Taurinensis; denique stationes notat hoc modo: « in collibus aridis apricis Montisferrati, et Astensis Pro- » vinciae frequens: in colle Taurinensi *Superga* dicto, et » circa *Seguvium* quoque nascitur: legit Laurentius Ter- » raneus in agro *Montiscalerii* prope villam *Monachorum* » *S. Bernardi*: cl. Richerius misit collectam in collibus » oppidi *La Morra:* cl. Bellardi in ericetis canapiciensibus » non infrequentem esse observavit (1).

Nunc *Icones* inspiciamus, specimina exquiramus.

Icones, et Specimina.

Jam vidimus figuram a Bauh. *hist.* 875 esse admodum imperfectam; eruitur tamen caulem esse *villosum*, et ramos ex *infimis alis*.

Figuram a Morisonio traditam quam mancam vidimus V.

---

(1) Cl. Balbis in pascuis *delli Molinetti*, tum etiam supra *Superga* alibique commemorat in *Fl. Taur. pag.* 40.

cisalpino Biroli magis proximam esse, auctorem ipsum fateri observavimus.

Modo cum figuris a Lobelio et Jacquinio, quarum meminit Biroli (1), cum Icone Taurinense supra laudata, nec non cum speciminibus siccis comparemus.

Lobelii planta, quam a ditione Pedemontana provenientem asserit, magis accedit ad Iconem Taurinensem, exceptis in hac foliis *subglabris*, et caule *ramum* unicum ferente ex *axillis infimis*, quae nota tamquam accidentalis ab accuratissimo Allionio habetur, dum caulem non indicat *ramosum*, quamvis ad eandem iconem confugiat.

Figura Jacquinii imperfecta, desunt enim folia radicalia; sed caulis aperte *villosus*, folia caulina *ciliata* fere ut in figura addita a Biroli: nec magis faciendae leves differentiae ab Auctore allatae, nempe: « folia ad basin caulis in » figura Jacquinii *nimis longa*, omnia *nimis sinuata* (2); » nam in primis Birolius ipse non a *figura*, *sinubusque* foliorum, sed ab eorum *superficie*, et caulis *compositione* permotus fuit, dum novam speciem proposuit; maxime dolendum diligentissimum Auctorém non praebuisse quoque figuram *Verbasci*, quod verum credit *phaeniceum*, ut comparatione facilius differentiae agnoscerentur! praeterea recte observavit La Markius in *Encyc. metod. tom.* 4, *p.* 211,

(1) Ibid. p. 1. vers. *cl.* Jacquin, et p. 2. vers. *cl.* Lamark.

(2) Ibid. p. 1. vers. *cl.* Jacquin.

quoad *V. phaeniceum*, nempe folia caulina superna altera esse *integra*, altera plus minusve *dentata*, inferiora autem in nonnullis speciminibus *oblonga*, *obtusa*, *sinuata*, uti videre est in icone ab eo tradita *Illustr. t.* 117, quae foliis figurae Jacquinii perfecte accommodatur.

Quid plura? Prae oculis habemus duo specimina sicca a cl. Bellardi humaniter, uti sui moris est, communicata. Primum praebet folia radicalia duplo latiora, longe petiolata, subglabra, caulina subamplexicaulia, lanceolato-ovata, crenata villosiuscula; caulem simplicem villosum, ramis ex axillis infimis, et congruit omnimodo cum figuris Lobelii, et Jacquinii, ac Icone Taurinensi. Alterum praesefert omnes characteres figurae a cl. Birolio additae, exceptis foliis caulinis inferioribus in specimine valde minoribus. Utraque collecta fuere inter incolas hujus ditionis, uti planta de qua Allionius maxima diligentia iconem curavit: immo a tergo papyri, cui adhaeret secundum specimen Bellardi, extat haec vetus annotatiuncula: « verbascum phaeniceum Lin. » inveni in ericetis agri Ciliani, Clavarii, Rondizzoni, Ci- » riaci, alibique » quod consentaneum stationibus ab Allionio indicatis.

Comparatis insuper quamplurimis aliis speciminibus diversis temporibus collectis, praesertim tribus penes cl. Giusta R. H. Botanici Taurinensis Rectorem existentibus, in omnibus perspexi nonnullas notabiles differentias tam in mensura et margine foliorum, quam praecipue in superficie totius plantae quoad pubem.

In Herbario cl. LATOURETTE, quod servatur Lugduni penes optimum BALBISIUM exstant duo specimina *V. phoenicei* ex plantis olim in horto botanico vigentibus, ac provenientibus ex seminibus missis ab immortali ALLIONIO: illa referunt folia nuda, margine ciliata, ciliis apice glandulosis; caulem autem ramosum, ramis ex axillis mediis: quod culturae fortassis tribuendum.

Inutile arbitror hic referre quod cl. WILLDENOWIUS in *sp. plant.* tom. 1, part. 2, p. 1004 attulit de *V. phaeniceo*; repetit enim characteres LINNEI, et admittit omnes synonimias supra allatas: moneo tamen in descriptione caulem *ramosum* non dicere, ceu supposuit cl. BIROLI (1), immo *simplicem* adnotat: aliunde hujusmodi descriptionis non WILLDENOWIUS sed LINNEUS auctor, ceu ille profitetur, ac apparet ex comparatione inter utramque descriptionem.

Tandem idem WILLDENOWIUS in *enum. plant. hort. Berolin.* tom. 1, p. 225, characteres specificos LINNEI emendavit hoc modo: « foliis *nudis* radicalibus inaequaliter *den-*
» *tatis*, caulinis lanceolatis *dentatis* basi cuneatis, caule
» *subnudo*, racemo elongato, pedunculis alternis ». Parum interest ipsum repetere *caule subnudo*, *folia nuda*, uti observavit cl. BIROLI (2), nam epithetona *nudus*, *subnudus* etc. respectu *caulis* non opponuntur epithetonibus *ramosus*, *subramosus* etc., sed aliis *foliosus*, *subfoliosus* etc.,

(1) Ibid. p. 2. vers. cl. WILLDENOWIUS.

(2) Ibid.

et respectu foliorum jam vidimus in nonnullis iconibus, speciminibusque esse fere *nuda*, in aliis plus minusve *villosa*. Et in plantis vigentibus pili adeo rari et breves sunt, ut nisi oculo armato conspici queant, et sic earum aspectus folia referat *nuda*, ac fere nitentia; unde consequitur non facile credendum cilia quae ad foliorum marginem reperiuntur a pilis esse efformata, ut autumat Biroliùs (1). Caeterum descriptio Willdenowii congruit cum Icone Taurinensi, et primo specimine *Bellardiano*.

Ex allatis consequi videtur

1.° Omnes auctores supralaudatos semper descripsisse eandem plantam de qua agimus, videlicet *Verbascum phaeniceum* L.

2.° Illam, quasi polymorpham habita ratione foliorum *superficiei*, caulisque *compositionis*, modo folia referre *nuda*, vel *subnuda*, modo plus minusve *villosa*, vel *pubescentia*, vel *pilosa*; caulem autem vel *simplicissimum*, aut ex alis infimis *ramusculos gerentem*, numquam proprie *ramosum*.

3.° Hujusmodi notas nimis esse fallaces ad constituendas proprias, constantesque differentias specificas, et potius climati, solo, terrae, culturae, aliisve fortuitis causis tribuendas; ex quo verendum, ne dum amabilem scientiam

---

(1) Ibid. pag. 3. vers. *folia radicalia.*

adaugere totis viribus nitimur, confusionem in eam effundamus, quod heu! nimium frequens.

4.° Quod si Botanicorum judicio, quibus hasce observationes submittere ausus sum, planta a cl. BIROLIO descripta imposito nomine sancitur, eos scire debere (quod maximi momenti), tam *Verbascum phaeniceum* LIN. quam *V. cisalpinum* BIROLI, amoenas exornare Pedemontanas regiones, gratumque animum nos profiteri erga cl. meique amatissimum Auctorem, communem patriam nova specie ditasse.